



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Svmmma Totivs Theologiæ S. Thomæ Aqvinatis, Doctoris Angelici Ordinis Prædicatorum**

Secvndæ Secvndæ Partis Volumen Secundum

**Thomas <von Aquin, Heiliger>**

**Romæ, 1619**

Vtrum pietas sit speicalis virtus? 3

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38762**

est per accidens, ratione alicuius necessitatis instans, in qua tenetur ei subuenire, non autem thesaurizare, quasi in longinquum: quia naturaliter non parentes filiorum, sed filij parentum sunt successores.

Ad tertium dicendum, quod cultus & officium, ut Tullius dicit \*, debetur omnibus sanguine iunctis, & patriz beneuolis. Non tamen æqualiter omnibus, sed præcipuè parentibus; alijs autem secundum propriam facultatem, & decentiam personarum.

ARTIC. III.

*Vtrum pietas sit specialis virtus ab alijs distincta?*

**A**D tertium sic proceditur. Videtur, quod pietas non sit specialis virtus ab alijs distincta. Exhibere enim obsequium & cultum aliquibus, ex amore procedit. Sed hoc pertinet ad pietatem. Ergo pietas non est virtus à charitate distincta.

¶ 2 Præterea, Cultum Deo exhibere, est proprium religionis. Sed etiam pietas exhibet cultum Deo, ut dicit August. \* 10. de ciuit. Dei. Ergo pietas non distinguitur à religione.

¶ 3 Præterea, Pietas quæ exhibet cultum & officium patriæ, videtur esse idem cum iustitia legali, quæ respicit bonum commune. Sed iustitia legalis est virtus generalis, ut patet per Philosoph. in 5. ethicor. \* Ergo pietas non est virtus specialis.

SED contra est, quod ponitur à Tullio † pars iustitiæ.

**R**ESPONDEO dicendum, quod aliqua virtus specialis est, ex hoc quod respicit aliquod obiectum secundum aliquam specialem rationem. Cùm autem ad rationem iustitiæ pertineat, quod debitum alij reddat: ubi inuenitur specialis ratio debiti alicui personæ, ibi est specialis virtus. Debetur autem aliquid alicui specialiter, quia est connaturale principium, producens in esse, & gubernans: Hoc autem principium respicit pietas, in quantum parentibus, & patriæ, & his qui ad hæc ordinantur, officium

K k 4 & cul-

\* li. 2. de Inuit in fol. 4. ante med. tom. 5.

537

lib. 10. c. 1. to. 5.

li. 5. ethi. c. 1. et 2. † li. 2. de Inuit in fol. 4. ante fin. l. b.



& cultum impendit: & ideo pietas est specialis virtus. Ad primum ergo dicendum, quod sicut religio est quædam protestatio fidei, & spei, & charitatis, quibus homo primordialiter ordinatur in Deum: ita etiam pietas est quædam protestatio charitatis, quam quis habet ad parentes & ad patriam.

Ad secundum dicendum, quod Deus longè excellentiori modo est principium essendi & gubernationis, quàm pater vel patria: & ideo alia virtus est religio, quæ cultum Deo exhibet, à pietate, quæ exhibet cultum parentibus & patriæ. Sed ea quæ sunt creaturarum, per quamdam superexcellentiâ & causalitatem transferuntur in Deum, ut Dionys. dicit in lib. \* de div. nom. Unde per excellentiam pietas cultus Dei nominatur, sicut & Deus excellenter dicitur pater noster.

*Ex cap. 1.  
habetur.*

Ad tertium dicendum, quod pietas se extendit ad patriam, secundum quod est nobis quoddam essendi principium. Sed iustitia legalis respicit bonum patriæ, secundum quod est bonum commune. Et ideo iustitia legalis magis habet quod sit virtus generalis, quàm pietas.

## ARTIC. IV.

*Utrum occasione religionis sint prætermittenda pietatis officia in parentes?*

538

**A**D quartum sic proceditur. Videtur, quod occasione religionis sint prætermittenda pietatis officia in parentes. Dicit enim Dominus Luc. 14. Si quis venit ad me, & non odit patrem suum, & matrem, & uxorem, & filios, & fratres, & sorores, adhuc autem & animam suam, non potest meus esse discipulus. Unde & in laudem Iacobi, & Ioannis, Matt. 4. dicitur, quod relictis rebus & patre, secuti sunt Christum. Et in laudem Leuitarum dicitur Deuter. 33. Qui dixit patri suo & matri suæ, nescio vos, & fratribus suis, ignoro illos; & nescierunt filios suos: hi custodierunt eloquium tuum. Sed ignorando parentes & alios consanguineos, vel etiam odiendo eos,